



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput Ult. Idem (a) Episcopo Tiberiadensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

NOTÆ.

(a) *Benevent.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titul. cap. 3. De Benevent. dice: csi egi in cap. 28. & 42. de testibus.

(b) *Vidua.*] Unde poterat ut miserabilis persona coram iudice ecclesiastico directè de hæreditate agere; juxta tradita in c. ex tenore, de foro compet. nisi

dicamus, tunc Beneventum spectare ad patrimonium Ecclesiæ.

(c) *R. in facie Ecclesiæ sepe dicitur M. signaram.*] Unde matrimonium putativum intercessit cum debitis conditionibus, ut filii legitimi crederentur, juxta tradita supra in cap. 2. ubi Commentarium hujus textus dedi.

CAPUT ULT.

Idem (a) *Episcopo Tiberiadensi.*

GAudemus, &c. *Et infra:* Cæterum prolem de illorum conjunctionibus natam, qui secundo, tertio, vel ulteriori gradu in infidelitate vixerint, quæ secundum opinionem illorum matrimoniali contrahuntur affectu, post fidem receptam, utilitate publicâ suadente legitimam volumus reputari.

1. (a) *Tiberiad.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. final. sed restituenta est inscriptio, nec non littera hujus textus ex cap. gaudemus, de divorciis, ubi extat alia pars hujus textus.

COMMENTARIUM.

2. **L**egitimationis beneficium, quod contingit per subsequens matrimonium, juris positivi ecclesiastici esse supra probavi in cap. I. hoc tit. quare filios infidelium non legitimari per subsequens matrimonium, rectè docuit Abulensis in lib. I. Regum. c. 8. q. 171. quia cum sit privilegium introductum ab Ecclesiâ in favorem contrahentium matrimonium, existentibus extra ipsam non communicatur. Unde difficilis est præsens textus, dum in eo docet Gregorius, filios susceptos ab infidelibus legitimari per subsequens matrimonium; præcipuè cum suscepti sint cum mala fide, quia scienter in secundo, vel tertio consanguinitatis gradu nuptias contraxerunt. Agnoverunt difficultatem repetentes hic, qui varios casus præsentis textus sîngunt, quos refert, & examinat Barbosa in præsentî. Sed his omîssis dicendum est, in præsentî textu decidi casum, in quo infideles contraxerunt matrimonium in ipsa infidelitate, in secundo, vel tertio gradu, quod apud eos con-

sistebat tantum tanquam contractus, & post baptismum sustinetur ut sacramentum, juxta tradita in cap. de infidelibus, de consanguin. & affin. cap. debitum, de bigamis; adhucque retinetur, etsi in gradu prohibito à jure Canonico celebratum sit, d. cap. de infidelibus. Unde cum post baptismum ratum, & legitimum sit matrimonium, filii antea suscepti efficiuntur legitimi. Contrarium autem procederet si in ipsa infidelitate permânerent parentes; nam cum inter infideles non detur matrimonium ut sacramentum, non poterant per illud filii antea suscepti legitimari: illis tamen baptizatis, fidei favore receptum est, ut etsi in gradibus prohibitis reperiantur conjuncti, matrimonium retineatur, filiique efficiantur legitimi; unde etiam Cælestinus III. in cap. I. de convers. infid. quem ex secunda collectione transcripsi, respondit, legitimari per subsequens matrimonium filios susceptos ex Gentili, & transeunte ab infidelitate, relicta conjuge infideli, si mortuâ eâ, ad fidem reverla celebraverit matrimonium, fiunt enim eo casu filii legitimi, non attentis juris regulis, juxta quas infidelis cum haberet catholicam uxorem, non potuit aliam ducere, nec ex alia muliere filium procreare naturalem: sit tamen proles legitima favore fidei, ut ita ad fidem Catholicam amplectendam infideles allicerentur. Abulensis supra, q. 170.

TITULUS XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt, vel in eo testificari.

CAPUT I.

Alex. III. (a) *Parmensi Episcopo.*

Perlatum nobis est ex parte tua, quod cum pater cujusdam puellæ eam cuidam Parmensi nupti (b) tradidisset, maritus post aliquot (c) años, quibus cum uxore permanfit, propter homicidium, quod comisit, de civitate timore (d) mortis exivit: nunc autem dicitur,